DE

DIABETE MELLITO, GRAVIDITATIS SYMPTOMATE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXIV. M. IUNII A. MDCCCXXIV

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

HENR. GOTTL. BENNEWITZ

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

W. DE *MOELLER*, MED. ET CHIR. DDR.

A. TIETZEL, MED. ET CHIR. DDR.

O. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DDR.

BEROLINI,

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

CH. GUIL. HUFELAND

MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, REGI A CONSILIIS CIVITATIS, EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE CL. II., ARCHIATRO PRIMARIO, ACADEMIAE MEDICO CHIRURGICAE, INSTITUTI POLICLINICI REGII, NOSOCOMII CARITATIS DIRECTORI, ACADEMIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS PLURIUMQUE ALIARUM SOCIETATUM SODALI.

PRAECEPTORI SUO HONORATISSIMO,
DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO

GRATOQUE ANIMO OFFERT

AUCTOR.

Legibus Universitatis Berolinensis academicis cum sit constitutum, ut medicus quivis, doctoris laurea rite coronandus, electam ex universa medicinae sylva dissertationem tradat typis, mori me huic, cum stricte indigenus sim, subducere non poteram, nam non solum natus sum, sed et curriculum academicum Berolini absolvi. Hinc eo lubentius hanc subirem provinciam, si non haud pauca rei difficultas premeret scripturum. Anceps nempe diu, quale argumentum conscribendae dissertationi depromerem, haesitavi, donec hoc tandem forte fortuna quaerenti offerebatur. Quippe qui proximo anno elapso Policlinicum hujus urbis, in pauperum beneficium aeque, ac studiosorum gratiam conditum, Perill. Hufeland, directore, assistentibusque Cel. Osann et Exper. Busse florens, frequentarem, ut praxi medica exercerer, obtigit aegrota, cujus labes, casu fortuito, eoque mihi perquam grato, meae curae speciali admittebatur, qua re eo magis laetor, quod eam raro contingere sciam. Quae labes nimirum est diabetes mellitus, de quo tot tantaque medici et veteres, et recentiores scripserunt, ut omnia velle colligere et censere, tum herculei foret laboris, tum dissertationis spatium longe excederet, ac minime quoque aptos inveniret humeros meos. Cujus morbi, inter homines nec adeo frequentis, natura ideo fortasse eo obscuritatis accrevit, quod ad morbi naturam prius concludendam, quam illius exempla prudenter discutienda et comparanda progressi sint. Medici quantum vero ad causam dilucidandam sedula morbi exemplorum descriptio confe-

rat, in promptu est. Qua ratione et ipse memorabilis morbi exemplum excutiendum curavi, quod peritis doctisque medicis haud ingratum fore censui.

Etymologia.

Diabetis nomen, a graeca voce διαβαίνειν (transire, trajicere) derivatum, quoad etymologiam abnormen significat uropoëticorum corporis humani organorum statum, quae ultra consuetudinem liquidum et quantitate, et qualitate sano statu alienum secernunt; cum siti inexstinguibili, ac macie futura.

Veterum de nostro morbo sententiae.

Morbus, quem nunc descripturi sumus, nequaquam novus, sed jam ab omni aevo observatus, idemque sub diversissima specie apud antiquissimos medicinae autores descriptus invenitur, qui ad unum fere omnes de morbi phaenomenis, minime tamen de causarum sententiis consentiunt cum recentioribus, quorum singuli iterum multimode inter se discrepant. Haud abs re ergo alienum videatur, primum eos, qui memoriae hoc de morbo scitu dignissimum quidpiam prodiderunt, ad hodiernum usque, seculum aureum nominatim citare, tum vero, ubi de causis sermo erit, eorum sententias ultra perscrutare.

Hippocrates [1]) nimium urinae profluvium nosse videtur, solummodo tamen de vasis a ventriculo ad vesicam urinariam euntibus sibi oriundum. Alias inquit [2]) „renum et quaecunque vesicae vitia in senibus aegre curantur."

---

[1]) de morbis Libr. IV, tom. I. p. 512.
[2]) Aphorism. VI. section. VI.

Aretaeus Cappadox [1]) nostrum morbum proprio nomine jam dignatus est, ita describens: „Mirus quidam affectus est diabates, neque inter homines admodum frequens. Est autem carnis membrorumque in urinam colliquatio. Hic morbus, pergit, longo tempore naturaliter inhaeret, longoque procreatur. Sed ubi jam consumata sit ejus constitutio, homo non diu superest, nam cita colliquatio ac festina mors. Vita autem foeda, sitis intolerabilis, potiones multae, quarum tamen modum excedit urina multo abundantior.

Celsus [2]) obiter tantum morbum attingit, cujus urinae nimiae profusionis nomine mentionem fecit. „At, inquiens, cum urina super potionum modum etiam sine dolore profluens, maciem et periculum facit."

Galenus [3]) docet: „diabetem esse calidam renum affectionem, in qua renes sanguinem ex vena cava intemperantius attrahant, at propter nimiam debilitatem facultatis retentricis continere non possint, ut igitur, veluti in lienteria ventriculus, ingesta facile reddant."

Albinus [4]) in proprio de diabete morbo conscripto libello dicit: „Potum in ventriculo in vapores resolutum per ejusdem poros sese in abdominis cavum subduci, indeque a poris vesicae urinariae resorberi, denuoque densari."

At enim vero certum est, omnium hactenus de diabete theorias in nimia urinae profusione sola positas fuisse, nullum vero ejus rationem, colore jam suspectam, analysi chemica penitius eruendam cogitasse. Usque dum seculo XVII Tho-

---

1) de causis et signis morbor. Libr. II,, cap. II. pag. 193.

2) de medicina Libr. IV, cap. XX, § 2.

3) de locis affectis Libr. VI, cap. IV.

4) dissertatio de diabete 1689.

mas Willisius [1] primus urinae diabeticae principium saccharinum detexit, quodque eadem ratione, qua tam morbos, quam sanitatem ipsam a fermentatione depromere ipsi praeplacuit, ex ea ipsa subortum demonstrare sategit.

Boerhaavio [2]) diabetes est „urinae chylosae, vel lacteae frequens et copiosa trajectio, cujus causa censetur nimia laxitas fibrarum in arteriolis urinosis, concurrens simul cum humoribus valde dilutis, quae utraque ab aquosis.

Maxima tamen morbi perscrutatio nostri aevi est, licet haud sit infitiandum, luminis parum duntaxat inde innotuisse. Quo minime tamen abhorreamus, et ultra perscrutando arctos limites dimovere conemur.

De diabetis causa proxima.

Omnium profecto nullus est morbus, cujus causarum ratio obscurior esset; id quod certe patet, ex infinitis illis de diabetis natura variis allatis sententiis, quas cunctas hoc loco perstringere, nedum censere, certo pigeret. Qua ratione vero oriri possit diabetes, nemo, quod sciam, gloriari adhuc potuit, acu se rem attigisse, etiamsi nulla aetas suis caruerit theoriis. Silentio itaque praeteribo veterum disceptationes, utrum a calida, an frigida intemperie diabetes sit deducendus, quae ad amussim apud Isr. Marcum [3]) spectari possint. Perinde non est, cur de veneno Aretaei [4]) a dipsadis morsu in sanguinem recepto multa dicam. Nec de Willisii [5]) colliquatione sanguinis

---

[1]) Pharmaceut. rat. Sect. IV, cap. II, pag. 207.

[2]) Institutiones medicae § 824.

[3]) dissertatio de diabete § 10, pag. 15.

[4]) l. c. pag. 198.

[5]) l. c. pag. 208.

ab acido sale exorta. Minime vero de viis occultis nemini ullibi reperiundis. Et si forte quae earum reperiantur, quali motu in vesicam urinariam devenire dices humores? Nullo profecto nisi motu retrogrado. Neque autem veteres solum, verum etiam recentiorum quamplurimi in eruenda causa proxima a recto tramite quam maxime aberrarunt. Errant itaque, qui diabetem localem affectum habent systematis uropoëtici laxitatem, debilitatem, aut paresin subesse opinantur, ac renum diabeticorum post mortem dilatatorum, pallidorum, acidumque odorem spirantium, haud ignota nobis exempla, ut causam adducunt, quae cuncta potius morbi effectus, quam causa censenda sunt. Necesse enim est, renum vasa secernentia post diuturnas ac quotidianas tot tantasque enormes mictiones dilatari, et dilatata etiam ubique post mortem reperiuntur. Mead [1]) aliique haud felicius in hepate obstructo, scirrhoso, ac in vitiata bilis miscela diabetis causam collocasse videntur. Sed quis unquam evicit, illa phaenomena non ad effectus potius, sed causam esse referenda?

Haec cuncta perspiciens Marcus, [2]) neutri, nec veterum, qui in renibus sedem quaerendam esse arbitrabantur, nec Meadii, qui in solo hepate eam collocavit, sententiae accedere voluit, sed eam modo in hepate modo in renibus exoriri statuit, idque ita, ut ex primo casu deuteropathicam, ex altero protopathicam versus renes congestionem fieri deberet, ut vasa sensim sensimque relaxentur, copiosior urina generetur, et chylosa tandem pars has vias penetret. Primum autem quod ad hepatis vitium attinet, cur, quaeso, nunquam in diabete etiam ad extremum provecto icterus observatus est, si semper steatomatosum ille supponit hepar. De

---

[1]) Exposit. mech. veneni tentamine I. p. 39.

[2]) l. c. pag. 18.

eo statu saltem nec Morgagni [1]), nec Reil [2]), neque alii vel verbo quidquam meminerunt. Deinceps autem, quod supra jam innui, renum laxitatem post mortem dissectorum reperiri, quis neget? Sed nemo quoque ibit infitias, eam potius, qua ratione supra dixi, esse effectum, quam causam.

Has et plures alias veterum de diabete sententias fusius perlegere cui placuerit, ad Trnka [3]) de diabete commentarium confugere debet. Quarum cumulum fere immensem nova inde hypothesi velle augere, tironem certo dedecet, satiusque erit, recentiorum memorabiliores de nostro morbo sententias hic perstringere. Omnium sunt tres, nostri attentione dignissimae, opiniones, quae de laurea certant, qua etsi nulla earum omnino digna videatur, licet non sim infitiaturus, in singulis tamen aliquid veri reperitur.

Rollo [4]), vir ingeniosus, diabetem haud inique cum scorbuto confert, quorum sua ratione quisque, licet contrario modo, humoribus laborat. Humores nimirum, omni fere in scorbuto oxygenio orbi multa hinc inde resolutionis phaenomena producunt, quae eadem fere existere statuit in diabete mellito, oxygenio multo abundante. In diabetis naturam inquirens ita disserit: causa diabetis proxima est ventriculi abnormi ratione aucta actio, eamque insequens liquoris gastrici secretio nimia ac prava, acore et appetitu immodico facile cognoscenda. Hujusmodi statum, pergit, deficiente assimilatione, saccharifabrica hinc inde e vestigio sequitur; chyli nimirum principium saccharinum, permigrando corpus sanum mutatur, hic vero immutatum alieni instar e corpore excernitur. Postmodum exoriuntur varia vitia organica, in

---

1) de sedibus et causis mOrbor.

2) *Fieberlehre III. 6. pag. 536.*

3) commentarius de diabete.

4) *über die honigartige Harnruhr pag.* 128. *u.* 197.

secandis cadaveribus reperiunda, quae aegrotantis refocillationem impediunt. Fieri quippe potest, subdit, ut in ventriculo saccharifabrica major collocetur, quam sano statu ei insit.

Theoria profecto ingeniosa, neque tamen omni errore vacans. Nam praeter dubitationes; quippe quod non utique sanguis emissus dulcis, ventriculi actio aucta sit, imo nonnunquam ejus incommoda consecutiva esse, renesque ipsi saccharum praeparare possint, non minimi quoque illa habenda est ab Ill. Reil [1]) proposita. „Ignoramus, inquit, omnem ciborum digestionem et praecipue ventriculi in ingesta reactionem in normali, eo magis etiam in abnormi statu. Nullam ergo rationem capere possumus, qua liquor gastricus morbosus saccharifabricam in ventriculo suffulciat. Attamen cum e sola sacchari praeparatione nimiam urinae profusionem declarare ipsi non licuerit, prudenter adjecit; renes autem mox, abnormen ventriculi efficaciam participantes, motu augentur.

Illustr. Reil [2]), saccharifabricam praeter renes et in toto corpore exoriri posse sibi persuadens, diabetem esse speciem morborum generis perampli, necdum satis explorati, docet. Cui theoriae prae omnibus Henkii opinio [3]), causam diabetis proximam in totius systematis reproductivi anomalcrasia quaerendam esse, respondet. Namque et alia organa excretoria substantiam saccharinam excernunt. Ita sudor et saliva phthisi pulmonali affectorum dulcia sunt. Vel ipsum sanguinis hoc in morbo a quibusdam educti serum aliquando, non ubique, dulcedinem exhibuit. Phthisis pituitosae ac diabetis, quae vicissim incesserunt, exemplum a Pearson [4]) narratur. Sic diarrhoeae

---

1) l. c. pag. 546.

2) l. c. pag. 551.

3) *spec. Pathologie II. B. pag.* 286.

4) *Rollo über Harnruhr pag.* 308.

chronicae macies et bulimus succedit, nec non substantia saccharina excernitur.

Huic theoriae, quae minime quidem prius traditae hypothesis dubiis supersedeat, plurimum vere debeamus, qua diabetis phaenomena saltem ad unum omnia facili modo demonstrare licet. Nam ventriculi ardor, fames, sitis intolerabilis ab aucta ventriculi omniumque organorum digestionis vi originem ducunt. Qua adaucta ergo et sacchari-fabricam majorem, et determinationem ejus uberiorem reddi, mirum non videtur. Diabetes autem, vitae animali adeo funestus, eo tantum a pluribus aliis morbis cachecticis differre videtur, quod materia animalis decomposita ad renes delata, ibi sacchari forma una cum urina excernatur, cum contra in aliis ejusmodi casibus per salivam, sudorem, sputa, diarrhoeam, blennorrhoeas omnigenas et similia viam sibi muniat. Quemadmodum igitur saccharum, in lacte ac chylo, quae inferioris sunt organisationis, manifestum ad normam pertinet: ita quoque, cum in excretis corporis animalis contineatur, utique ad phaenomena abnormia numerandum est.

Nuperrorum nuperrima tandem de diabete hypothesis, hactenus nondum provulgata, a Cel. Neumann proposita est, qui diabetem morbum pro Veneris abusus, vel mastuprationis effectu plerumque esse habendum, existimat. Aegroti sibi ipsi sunt testibus, qui omni sexus alterius cupidine, penis erectione, quinimo omni seminis ejaculatione, vel pollutione carent. Ita inde docet: nervus spermaticus, praeviis illis evagationibus, muneribus fungendo redditur impar, vasisque porro spermaticis pro stimulo agere cessat, unde omnia superius allata phaenomena declarari cernuntur. Renes vero vicini, lege antagonistica vasorum spermaticorum vices subeuntes, motu augentur, et non modo quantitate, verum etiam qualitate perverse secernere, vel verbo, una cum urina demissa semen vicario modo separare dicuntur.

Theoria sane nullo modo absurda, cui symptomata saepissime neutiquam, haud raro fortasse et causa non est deroganda. Non ubique tamen hanc eandem diabetes supponit causam, et exempla, quibus virgines pudicas, impubes, imo infantes diabete fuisse correptos constat, haud ignota adducere licet. Vicarium vero quod attinet, in toto corpore, ob singulorum propriam fabricam nihil simile invenitur; nec non a vero quam maxime distat, nam ex impedita nervorum spermaticorum actione si esset declarandum, cur, quaeso, discissis castratione illis nervis hocce vicarium, diabetem saepius videre non licet? Sitis, bulimus, urina dulcis, aliaque diabetis symptomata quomodo autem ea ex illa actione vicaria suboriri dicantur. Sed ex toto istud vicarium e mox dicenda morbi historia repellere decet, qua diabetem mellitum graviditatis symptoma dixi.

Diabetis melliti therapia.

Pro varia, quam sibi quisque de causis diabetis formaverat, ratione, vel adstringentia, roborantia, antiphlogistica, stimulantia, vel specifica in usum vocavit remedia. At in tanta causarum, quae diabetem inducere creduntur ambiguitate, in tanta remediorum, quae huic illive profuisse putantur cohorte, admodum difficile est, curam collocare rationalem. Nullibi autem medicina auxilii tam egena est, quam ubi majores remediorum divitias pro una eademque aegritudine possidere gloriantur theoretici, atque in ipso diabete tam multa, tamque contraria inter se auxilia laudata fuerunt, ut vel ex hac sola rationis medendi inconstantia plurimorum jam nimis manifestetur inertia. Attamen quae pluribus profuerunt, habita scilicet individui, et causarum, et ejusmodi plurium ratione, remediis uti praestat.

Ab his ad morbi historiam venturus indicanda quaedam puto, quae hanc eandem eligere me suscitarunt. Cujuscunque est, jam pridem monente Wichmanno, quamvis historiam vel minus memorabilem provulgare, non quo eruditorum compendia ornentur et condonentur, verum autem ubique morbi diagnosis confirmetur et confortetur. Et ipse mihi hunc finem semper proposui in conscribendo libello, nec in altius tetendi, quam concinnam ac promptam memorabilis morbi historiam offerre. Memorabilis dixi, cum multa obveniant memoratu dignissima, hujusmodi morbo plerumque aliena, quae brevi dicere liceat. Primo alienum est, recrudescere et exasperari alias in corpore affectiones, dominante graviditate, siquidem ea in omnium fere morborum vices agat. Quippe qui videamus chlorosin, febrem intermittentem graviditate procedente omnino auferri; praegnantes tuto ac libere inter peste detentos versari; phthisicas atque hecticas opime denuo invalescere uterum gerentes; morbos nervosos ac spasmos hystericos interdum facta conceptione deleri. Qua de re haud inique uterus praegnans sexcentarum in muliere aerumnarum victor dicitur; totidemque vero aerumnarum auctorem esse inpraegnatum, neminem fugit. In allato casu ea utique corporis muliebris tutela non deprehendenda, imo potius in ipsius perniciem inversa est. Instante enim graviditate doloso sub cinere dormientes igniculi proruperunt, et pristinum statum miserum in modum iterum accenderunt. Procedente enim illa, corporis totius reproductio adeo usque prosternebatur, ut macies corporis totius, lassitudo, dedolatio, imo diabetes morbus subsequeretur. Secundum dein quod in hoc casu alienum est, est diabetes una cum graviditate, uno eodemque tempore, subjecto obortus, qui illa posita ponebatur, durante durabat, crescente crescebat, absoluta vero mox auferebatur. Nam aliis causis fortasse praegressis,

vel etiamnum praesentibus ejus obortus non tribuendus est, excepta dispositione morbos organorum abdominalium sustentandi, scrophulosis ubique prole. Tertio jam eo memoratu digna videbatur, quod feminam vero diabete affectam, rarissimam avem! praebet. Numerus etenim virorum nostro morbo aegrotantium, quo feminarum multo major est. Id quod ad amussim saltem e Frank observationibus patet, quarum nonnullae tantum, respectu virorum ad feminas pertinent. At ipsa aegrotae juventus, octavum decimum vix annum agentis, cum primum coepta sit vexari, simul cum constitutione robusta, florida et vitae ratione honesta juncta, quum nunquam Veneris toro abusam fuisse se asserat, morbum etiam majoris momenti facere putantur cogitanti, dicta omnia esse vera. Nec minus memorabile est principium saccharinum, cujus urinae tantam retinuerunt copiam, ut ex duabus urinae libris, saccharinae non minus, quam quatuor unciae prodirent substantiae, in crystallos albo-flavidos redactae. Quare de vero diabete aegrotae nemini dubitare licet, cum tanta saccharinae urinarum substantiae copia, omnem vel levissimam componat dubitationem. De morbi periodicitate vero quid dicam? nunquam, quod sciam, simile quid obviam factum est. Quodsi fortasse, si fieri potuisset, ab omni graviditate se abstinuisset, nec unquam certo hunc in morbum, quasi coitus coeffectum, cui nullum medicamen, nisi partus aggressus, incidisset. Quo tempore nempe graviditate caruit, non multo post et diabete reconvaluit, et tanta rursus fruebatur valetudine, ut prioris cruciatus immemor denuo viro usa sit, atque antiquam rursus canere coeperit cantilenam. At cuncta hucusque dicta coronat sanatio, majoris momenti, quam ut silentio eam praeterire liceat. Sanitas denique, attamen minus arte, quam natura refecta est Cujus conatui dum succurrebamus, medici fecimus negotium. Plurimum ergo debetur naturae, minimum

arti. Hoc dictum sit iis, qui vim naturae medicatricem negant, atque remediis nimis confidunt, ut discant naturam potius imitari et observare cum judicio, quam ut inconsulte eam aspernari et refutari conentur. Natura quippe dux optima, nec facile errat, ipsius qui insistit vestigiis. Uti scite Seneca: Naturam sequentibus omnia facilia et expedita sunt; contra illam viventibus, non alia vita est, quam contra aquam navigantibus.

Historia morbi.

Uxor erat, viginti duorum annorum, berolinensis, cui nomen Friederica Pape, plurium infantum mater, temperamenti sanguinei, corporis haud proceri, comae bruneae, fulgentis oculi, ruboris late supra genas diffusi. Parentum nec penitus integrorum nata, cujus pater videlicet phthisi defunctus, mater vero post septimum ultimumque puerperium uteri carcinomate mortua est. Circa infantiam, quam partim sua sponte, partim ex affinium narrationibus meminit, valetudine parum firma gavisa est, licet si primo obtuitui credidisses, ei valetudinem optimam esse, cui impraecari nihil reliquuum sit, existimasses. Quo tamen habitu fallaci diathesis latuit scrophulosa, fida haud raro diabetis assecla. Quippe quae vix a lacte desuefacta, aliisque cibis admissa, dum glandularum salivalium tumoribus laborabat, nihil inde dubitationis adulti jam hostis, provectae nimirum scrophulosis, molita sit. Quam ad diagnosin confirmandam paulo post accessit capitis tinea, scrophulosis ubique proles, decursu vero usque adeo pertinax, ut domesticorum usu non modo non evanuerit, verum etiam ad decimum tertium aetatis annum usque immutata fere perseverarit. At enim vero instante proximo anno res mutata est. Novae quippe humani corporis id aetatis evolutioni,

tioni, tot malorum ac morborum saepe victrici, et prorsus capitis tineam auferre lubuit, sanguinis molem caput versus directam deorsum derivando, et unoquoque mense lege naturae e genitalibus jactando. Qua menstrua periodo fluente, quatuor hebdomadum typum firmiter observante, perque quatuor dies constanter manante, priora scrophulosis symptomata, tumores et capitis tinea mox obmutuerunt. Et multum aberat, ut fluxui huic periodico victus genus vel parum obstitisset, quippe quod minus sedendo ac cubando, quam currendo, stando et ambulando potius esset subeundum, cui vero jam a primis cunabulis erat adsuefacta, cum parentes simili modo vitam quaesivissent. Usque dum decimo sexto aetatis anno inito, licet illicite, coitu, fluxum hactenus regularem retinuit conceptio, per totam graviditatem non redeuntem. At hocce primum illicitumque periculum dirum in modum ultum est numen, una cum semine virili contagium scabiosum fertili solo inserens. Increscentibus, et foetu, et scabie, liberae vitae ubique adversis, ad caritatis nosocomium confugere decrevit sperans, fore, ut ibidem tam gravi fructus mole, quam scabie perquam molesta liberaretur. Quam ob rem ubi nosocomium erat ingressa, utrimque optanti satis factum est, ac mense prius jam scabie erat liberata, quam partu, qui vero, elapso tempore, solo impetu naturae, quin ei occurreretur manu, successit ediditque infantem, generis virilis, quatuordecim tantum hebdomadas superstitem, tandemque dentitione difficili mortuum. Anno uno cum dimidio praeterlapso ecclesiae jure viro usura, ac denuo Veneri aram consecratura jussa est. Cui victimae inde satisfieri voluit Venus graviditate nova, sine ulla vitae perturbatione incipiente, durante, desinente. Partus proximus, uti prior normalis, in lucem prodidit prolem virilem, hactenus adhuc superstitem. Quo partu demisso, eo nunc valetudinis pervenit, ut puerperio ne tres quidem dies detenta, mox ite-

rum ad suum negotium reverterit, atque se ipsa sustinuerit sanam ad tertiam usque graviditatem. Qua imminente, omnia sibi adeo fuerunt contraria, ut non parcas ipsius valetudini cum praesenti, tum futurae insidias struere viderentur. Nam singulis totius graviditatis diebus copiose aeque, ac continuo e genitalibus emanabat sanguis, nullo modo coërcendus, nihilominus tamen undique summum periculum minans. Praegnans vero ceterum corpore succi pleno et hanc haemorrhagiam absque fere sui infantisque periculo sustulit, ac postea quoque habitum primo optuitui plethoricum offerebat. Sed intus organorum concordia, summae sanitatis effectus, accenso igne quodam ignoto interrupta fuit. Enixo nempe partu, quem iterum secundum naturam obtigisse, atque tertium puerum edidisse dicit, magna urgere coepit, inita graviditate quarta, bibendi necessitas, cui satis agebat lubenter, cum nulla latentis hostis suspicio nec ipsi, neque adstantibus assumenda fuerit. Verum enim sitis indicia initio erant utique leviora, famis vero nulla, vel parum modo aucta, magis ipsi e dura et laboriosa vitae conditione, quam tanto morbo, quem divinare haud procul licuit, derivanda. Lotii justo majorem quantitatem se mingere non statim animadvertit, vel profecto mirum non videbatur cogitanti, se et plus potasse. Reliqua mali symptomata ingravescenti demum morbo se adsociaverant, vel leviora erant, quam ut attentione digna haberentur. Quare prodroma, si qua unquam in diabete obveniant, aegrotae non visa. Prole demum quarto emisso, cum omnibus hucusque dictis morbi phaenomenis omnino denuo liberatam se videret, eo magis medicam opem illudere coepit, quo tutiorem se putaret misera. Attamen, quod mirum, unquam se Veneris taeduisse negavit, cujus quidem nec amore capta esset, toties tamen ultro ei se dederit, quoties conjux eam appetierit. Quo tandem factum est, ut viri amplexu quintam subiverit graviditatem, qua

simul rursus pejus evasit malum pristinum ita, ut de latente in corpore malo jam cogitare coeperit. Cui nihil tamen minus nulla methodo aut diaetetica, aut therapeutica occurrit, mensesque septem praeterire passa est incuria. Quid quod variis potentiis noxiis ultro se exposuit, mali pondus haud parum aggravantibus, sectando pristinum victum, corpus nec a frigore, neque calore prudenter tuendo. Omnium vero sitis erat abnormis, quam ut medicum consuleret se coëgisse accusavit, cui nullo fere potulento penitus satis agere posset. Res ubi eo magnitudinis increverat, ad valetudinem priorem adipiscendam in Policlinico regio die XIII mens. Novembr. auxilium petiit, atque examini speciali edidit sequentia.

Principis morbi symptomatis, jam supra mentio est facta, sitis nimirum inexstinguibilis, fauces dire comburentis atque excruciantis, nullo potulento, quinimo bibendo non coërcendae ita, ut intra diei unius spatium plus quam sex mensuras berolinenses cerevisiae vel aquae fontanae facili modo ingurgitarit. Singultus saepe de die occurrens, nec minus aegrotae querelas evolvit, uno quoque plurimum poculo hausto recurrens, et ruminationem quasi referens. Fames quamplurime inevitabilis morbi assecla, minime vel nihil aucta, haud magna plerumque cibi copia sedanda, qui bene digeri, digestusque assimilari videbatur. Corpus etiam erat succi plenum, sed jam macilentius, si aegrotae effato fides habenda, quam nonnullos ante annos est visum. De aliis morbi incommodis aegrotam fuisse conquestam, equidem inscius. Lotii profecto, hactenus semper sanum fluxisse affirmanti, mutationes tam quantitate, tam qualitate perspicuae nullam commoverant suspicionem, vel plus et aliter minxisse mirum non videbatur cogitanti, se et plus et multa bibisse. Attamen mihi strictius rem investiganti, lotii quantitas per nychthemeron missi, copiam humorum, intra idem temporis spatium

ingestorum, multo excedere videbatur, cujus mensura ad libras octodecim medicinales pondere adaequavit. Quod altero die misit, coloris erat aquosi et subturbidum, caeterum odoris fere vapidi, cujusmodi cerevisia vapida spargere solet. At illum odorem, cujusmodi viola odorata mittere consuevit in urinam inquirens olfacere nequivi, qui vero neutiquam infitias irem, ejusmodi nonnunquam occurrere non posse, quamvis multoties imaginatio defraudet cogitantem, se olfacere violam odoratam. Idem erat lotii sapor, fatuus ac vapidus, cerevisiae vapidae non dissimilis, qua tamen dulcior. Lingua pura, laete rubens; os continuo siccum; gingiva rubicunde nitens, dentes vacillantes non nisi ad radicem circumambiens; vox debilis ac rauca. Ad fauces erat dolor, sine phlogosi constans et vehemens, ad screandum saepe invitans. Praecordia libera. Alvus in dies aperta. Somnus inquietus, potandi impetu persaepe interruptus. Cutis erat aspera, arida, et noctu et interdiu a sudore per omnem morbi decursum desuefacta; aliae partes, ferventibus aliis, frigebant ita, ut ad faciem, abdomen, pectus, sudantibus extremitatibus, frigus summum tam aegrotae ipsi, quam eam tangentibus conspicuum comprehenderetur. Huc tandem accessit dolor trahens in regione dorsali et lumbali, ad vesicam urinariam tendens, perquam molestus, sedendo, stando et lente ambulando molestior. Pulsus minus frequens, durinsculus, plenus, quin febrilis. Menstruatio cessabat, eaque abhinc menses septem post factam conceptionem. Ante duos menses primam foetus utero fortiter se moventis undulationem deprehendit aegrota.

Haec erat morbi imago, cum eam sanandam in Policlinicum regium assumeremus, spe aliqua freti, fore, ut enixo partu, natura, sanitatis servatrix, redderet prognosin aliquanto meliorem, hactenus admodum tristem. Nec elusa est sanationis spes, porrigente medentibus manum natura.

Iam qua via morbo pertinacissimo a nobis occurrendum erat, brevi exponam. Morbi genesi vitium locale fundamentum praebuisse non videbatur, id quod satis absentia symptomatum, renum affectioni, inflammationi vel suppurationi, aut calculis praesentium affirmabat. Neque metastasis, praegressae scilicet scabiei, ulla movenda veniebat suspicio, nisi quis eam non sanatam atque in renes retropulsam inique dixerit. Utcunque autem res se habeat, non dubito, quin morbi sedes non in renibus unice, sed in universo systemate reproductivo potius fuerit quaerenda. Qua de re, quod ad multas de diabetis natura theorias attinet, ea nobis maxime arridebat: quae causam proximam morbi in affectione totius systematis reproductivi, ac dyscrasia universali inde suborta ponit. Quae dyscrasia autem rem curosius illustranti tam appetitu immodico, abnormique sanguificatione, quam secretione et excretione principii saccharini simul cum urina se manifestat. Hinc inde liquet, non sola stimulantia, non sola roborantia et anodyna, non sola diaphoretica, sedantia, et hujusmodi alia in usum vocanda esse, sed nos ad morbo medendum egere specificis. At unde haec specifica? Pro varia de diabetis natura opinione sua cuique erat medela. Unde tot medelae, quot singulae opiniones.

A die curae ad 1mum mens. Decembr.

Causa nec remota, neque proxima satis recognita, nihil reliquum erat, quam ut symptomatibus perspectis non nisi methodo palliativa aegrae succurreremus, quam una cum diaetetica junctam morbum aliquanto mitigaturam sperabamus. Nam fortius paulo agere tam ob infantis periculum, quam matris damnum non licuit. Omnium ergo primo ei opitulari symptomati, cujus congressu non parum aggravaretur malum, constabat. Humores hinc inde vires multo superantes diminuendi prima erat indicatio, e pulsu duro, pleno, et omni constitutione aegrotae admissa.

Quare nec unquam venam sibi fuisse sectam affirmanti, eam secandam curavimus, atque duodecim uncias sanguinis e vena mediana elicuimus. Sanguis vena emissus quarto die, quo eum videre mihi licuit, in crassamentum atro-rubrum, densum coierat, sero innatans limpido, ratione crassamenti quantitate aucto, omnis crustae inflammatoriae experti. Sanguis caeterum odoris nec putris, nec nativi, sed prout saporis, mirum dulcis. Experimentum ergo, juxta Watt pro quolibet hujusmodi morbo debellando propositum, hoc loco rei naturae erat accommadatum, at multum aberat, ut ad gravissima morbi symptomata lenienda vel minime modo suffecturum fuisset. Faucium ardor, singultus, sitis insatiabilis, lumborum dolor, urina dulcis, omnia pertinaciter manebant eadem ita, ut medelae diaeteticae confidentes, eam pro altera indicatione adhiberi jusserimus. Victus ratio procul dubio, cutis nempe functio turbata, vel suppressa, cerevisiae et vegetabilium usus immodicus pro continuando malo multum conferebant, quae simul et noxias ab aegrota removendas indicabant. Quare omnia vegetabilia interdiximus, in quorum locum victum animalem, carnem videlicet bulbulam ex aqua coctam substituimus. Fames autem adeo saepe erat parva, ut nec dimidiam carnis libram quotidie ederit, imo interdum eam abhorruerit. Nihil tamen minus in dies rotundabatur venter, cujus inquilinus, ac si nihil foret matris mali, bene efformari videbatur. Ne porro autem temere cutis functionem turbaret, vel imo supprimeret omnino, nudo corpori vestimenta lanea induenda curavimus, quae refrigerium saltem omne retinuerunt, quin tamen calorem vel parum auxisseut, diaphoresinve excitassent. Cura vero diaetetica cum sola mali obstinaciam devincere nondum valuerit, et therapeutice in systema reproductivum qui ageremus, tertiam indicationem, therapeuticam scilicet adhibere decrevimus. Omnium inde illud elegimus

remedium, quod autoribus haud raro maximam in hoc morbo opem tulisse fertur, magnesiam nimirum carbonicam, quae non modo symptoma morbi, ventriculi acorem auferendo, verum etiam eo ipso saturata, quin irritet nimis, contenta ano promovendo in intestinorum beneficium agit. In systema nervosum nimis exaltatum qui simul fortius paulo ageremus, ejusque nimiam adimeremus inertiam, una cum magnesiae carbonicae granis X, extracti hyoscyami grano uno, bene in pulverem redactis usi sumus. Cui indicationi simul methodum roborantem, utpote Elixir roborans ph. paup., cujus guttulae XX — XXX aliquoties de die erant sumendae, quo vires assurgerent potius, anneximus. Quae cuncta haud infausta nobis visa sunt; iisque etenim rite porrectis non solummodo faucium ardor, singultus, sed etiam alvum iis quotidie lene moventibus, alia incommoda, quam maxime vero congestiones versus caput directae cesserunt. At lotii et quantitas, et qualitas manebat fere vix non eadem. Sub finem hujus periodi enim quod erat dimissum, sedecim libras medicinales pondere adaequavit, saporis etiamnum dulcis atque coloris pellucidi. Quo sapore fallaci ne forte deciperemur, lotium chemice perscrutari jussimus. Et experimento ab. Ill. Hermbstaedt instituto tandem innotuit, quamvis hujus lotii libram civilem, saccharinae substantiae, saccharo farinoso haud dissimilis, non minus, quam uncias duas, praebuisse.

A 1mo Decembr. ad 1mum Ianuar.

In hac medendi ratione perseverare decreveramus, quum repente eo vehementiae denuo resurgeret faucium ardor, ut nisum naturae cretam ingurgitandi observantes, coepta methodo magnesiam carbonicam duplicata dosi exhibere perrexerimus. Quam ob rem saltem contigit, ut flagrantem in faucibus ignem quodammodo exstinxerimus. Dolor regionis lumbalis tunc temporis quoque summum fastigium cepisse est visus, sedenti

et jacenti, quam lente ambulanti stantive adeo molestus, ut eam a quovis fere negotio domestico se abstinere oportuerit, cum vel minimo valde exasperari soleret. Quum hujusmodi cruciatus vestigia jam ab initio, licet leviora, adessent, sustulit ea obstinate; ad tantum vero ubi venissent fastigium, quo jamjam observabantur, simul cum querelis causam aliquam eorum medentibus praebitura conata est. Quippe quae hac in graviditate ventris vidisset circumferentiam tantam, quantam praeviis graviditatibus fuisse haud meminit, de gemellis parturiendis cogitare coepit. Sed intra mensis fere spatium cum nullam percepisset motionem infantis, cui tamen admodum adtendebat, saepius contra horrorem sub vespere, quasi aqua gelida perfusa, et ponderis plumbei e lumbis in gremium descendentis sensationem deprehendisset, accidit, ut ea ipsa infantes mortuos atque putredine corruptos existimaret. Quapropter a me petiit, ultra ne vitam viveret incertam, ut manu exploraretur obstetricia. Quo pacto equidem tam de vita infantis dubia, quam de partu enitendo, gemellove me docere annixus sum. Et reperta sunt haec: abdomen solito plus, sed ubicunque aequaliter, nec alterutro latere magis expansum, vel dimidiatum, durum, calidum; uterus contractus paululo supra umbilicum haud nimis eminentem, cumque scrobiculo cordis planum inclinatum efficientem positus; in latere dextro pone umbilicum infantis membra, cujus vero motus nullibi erat deprehendendus. Genitalia interna, labia, vagina nec turgida, nec madida, sed constrictiora, quam flaccidiora; portio uteri vaginalis mollis, ad dimidium fere pollicem redacta, cujus orificium exterius aperiri coepit, digito tamen exploratorio introitum mox negabat. Caput infantis mediam attigerat pelvis aperturam, facili modo tamquam moles dura, immobilis tangendum. Ex hucusque dictis liquet, primam partus periodum fuisse ingressam, quem tam proximum vero no-

luit aegrotans, post octo dies elapsos vel ultra demum eum accessurum esse confidens. Attamen sibi ubique erat attenta, domumque ne gressu quidem effugit. Rationem vero quaerentis, num mortuus vel jam putrefactus sit infans? haud gravate refutare potui, qui nullum usitatorum hoc certo manifestantium indicium invenissem. Nihilominus tamen prognosin dubiam stabiliri jussi, quatenus fortasse momento ante me investigantem infans mortuus esse posset, nondum ullum mortis signum conspicuum suscipiens. At ecce, dum adeo partum enitendi temporis secura ingrederetur, postridie explorantionis, die XXIX Decembr. partus repente ac improvise prodromos se nuntiatum misit, qui vero vix ingressi secunda pomeridiana hora jamjam caput infantis evolverunt. Sive hi sponte, sive obstetricis ope, intempestive adjuvantis? Nam enixo capite cunei instar in vaginae exitu haerebant humeri, nec sursum, neque deorsum ullo modo euntes. Quodque profecto absque magna infantis offensa haud est visum. Infans videlicet capite enixus, stimulum aërem hauriendi percipiens, periculum fecit, emisitque clara voce suspiria. Verumtamen obicem ipso majorem superare nequivit, eique succumbere debuit. Mortuus tandem non nisi magno cum nisu natus fuit. Ad mortis causas illustrandas quis aninum attenderit compuleritque, declivem corporis capitisque praeprimis non praetermitteret situm, quo illum diutius remanere oportuit, compressionemque funiculi umbilicalis, omnem sanguinis circuitum impedientem. Hinc, plus sanguinis ut caput ingrederetur, refluxus vero impediretur omnino, mors ergo apoplectica, opus erat. Equidem nullatenus obstetricem omnis criminis absolverem, quae, modo medicum advocasset, suum praestitisset officium. Interim ei sit venia, cum ludens natura in hac fabricanda prole sat longe aberrasset. Infans scilicet, quem Herculem genuisse certo dixisses, tanta indole erat robusta ac sana, et tanto pon-

dere, ut, Cel. Osann aegrotaque ipsa testibus, quo minus fucum fecisse videar, duodecim libras civiles adaequarit. Et ea latitudine erant humeri, ut circumferentiam eorum dispersis ab invicem digitis manu amplecti non possem.

A primo Ianuar ad finem curae usque.

Ego ubi altero post partum die arcessitus sim, diabeticam invenire non creddidi, quae viribus prostratis suspensa, tremula lingua conquereretur dolorem lacerantem, pungentem infimi ventris, nec lecti stragulum, nedum manum prementis libere sustentantem, quin dirum in modum exaspararetur. Capitis ratio erat eadem, dolor et calor magnus, facies laete rubens. Pulsus valde frequens, plenus, subdurus; bibendi necessitas inevitabilis, dum vel inter potandum linguam aridam arbitrabatur. Fluentibus lochiis cum optima fieri videretur derivatio, nihil inde nisi lautam diaetam atque regimen diaphoreticum imperavimus sperantes, fore, ut ad haec facile et plethora universalis, et peritonitis nascens auferretur. Haud longe adhuc altera die in medela progressi methodo diaeteticae ac diaphoreticae tertiam jungere decrevimus, derivantem nempe ac purgantem, alvo quatuor abhinc dies obstructa. Quam ob rem applicatis ventri infimo hirudinibus octo, oleum porreximus ricini, cujus secunda quaque hora dedimus cochlear unum. Quae cuncta tanti fuere successus, ut, dejecta aliquoties de die alvo, prima statim nocte extremitates frigere, doloresque exacerbari desinerent; et quod omnium esset prosperrimum, cutis dudum jam ab omni sudore desuefacta madescere inciperet. Oleum pro alvo deponenda exoptati erat eventus, ne pretium vero multum continuando excederet, in ejus locum infusum e foliorum sennae ℥iij, cum Kali sulphurici ℨvj parandum curavimus, cujus tertia quaque hora cochlear unum erat propinandum. Sublata postmodum alvum solvendi necessitate ad id, quod conficere conata sit natura animum attendimus, cu

jus conatum inde discordiam systematum ablaturum minime turbavimus, sed quantum fieri potuit, suffragati sumus ita, ut, propter sudores conspicuos conservandos, aegrota in lecto morari juberetur. Quo factum est tandem, ut sudaret valde, idque dein matutino maxime tempore, antequam cubitu surgeret. At tantum aberat, ut inde corporis vires prosternerentur, ut potius in dies perspicue augerentur. Iam temporis prognosis erat optima, cum tantus sit cutis et systematis uropoëtici consensus, ut vicaria binis organis sint jura. Nam eo minus reddebatur urina, quo sudor propullulabat fortius. Pariter evanuit sitis, cujus jamjam magis magisque taeduit, quaeque certe a sana abhorrere non videbatur. Lotii quantitas per nychthemeron missi ne unam quidem mensuram adaequans, nec amplius redolens cerevisiam vapidam atque nullum principii saccharini vestigium uberius perscrutanti manifestans. Aegrota tandem, cum eam sat longo tempore omni cura therepeutica vacantem, neque ex ulla alia parte male habentem observassemus, eamque, ut prorsus adhuc victu animali uteretur, jussissemus, cujus emendi causa tota cura per hebdomadis spatium nummos octo ei dederamus, natura servatrice et medicatrice, sanata dimissa est.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego Henricus Gottlob Bennewitz natus sum in urbe Berolini, die VII mensis Iunii MDCCC, patre Carolo Bennewitz, urbis illius cive, quem immatura corripuit acerba mors, quin eum nosse mihi indulserit fatum. Matre Susanna, e gente Doederleiniana oriunda adhuc superstite gaudeo, quae post patrem mortuum iterum nupsit Ioanni Fricke, cui et nunc vota solvo gratissima, et ad ejus cineres usque solvam, qui mihi pater fuerit ac fautor. Qui scilicet optimis omnibus, quibus puerilis aetas imbui solet, doctrinis me erudiendum curavit, nec tamtum scholae, rectore Krueger, verum etiam speciali curae Cel. Bublitz, clerici ejus urbis, per sexennium me tradidit, quibus viris nunquam non studio fuit me litteras docendi, qua-

rum cognitionem cultura animi jure postulat. Litteris absolutis, in altius studium tendens, ad Pharmaciae studia animum mentemque appuli, et Pharmacopolam urbis data copia, adii postmodo certo certius medicinae studia subiturus. Illi studio ac labori omni, qua par est, attentione ac diligentia operam navavi, praeterquam vero praelectionibus Cel. Hayne de Botanice, Cel. Turte de Chemia, et Exper. Wadzek de Physice interfui. Anno MDCCCXXI ad universitatem ejusdem urbis me contuli, et die VI mens Iunii Rectore Magnifico Lichtenstein, et Decano Ill. Rudolphi civium academicorum numerò adscriptus, in exoptatum medicinae studium incumbere coepi.

Per sex semestria, et quod instat, percipiendis medicinae atque chirurgiae disciplinis omni studio et assiduitate me dedi, ac lectionibus, praeter publicas, interfui privatis sequentibus.

Ill. Hegel de Logica et metaphysica; Ill. Lichtenstein de Zoologia; Ill. Link de Botanice; Ill Erman de Physice generali. Anatomiam universam, comparatam, pathologicam, et Physiologiam docuit, Ill. Rudolphi; Osteologiam, Splanchnologiam, ac formulas concinnandi artem Ill. Knape; quibus ducibus et in arte funerum rite dissecandorum me exercui. Cel. Wagener de materia medica, deque Pathologia ac Therapia generali audivi; Ill. Horn de Pathologia et Therapia speciali, de morbis syphiliticis deque militum morbis; Ill Hufeland de acutis et chronicis morbis; Ill. Berends de nervorum morbis; Ill. Rust de Chirurgia generali et speciali, deque morbis syphiliticis; Cel. Kluge de ossibus fractis et luxatis, atque de Akiurgia una cum Rust; Ill. de Siebold de arte obstetricia, atque de exercitationibus obstetriciis phantomatis ope manu faciendis. Sub finem studiorum meorum, ut praxi medica exercerer, clinica in studiosorum gratiam condita, quae florent duce et praeside Perill. Hufeland, Ill. de Siebold, Ill. Rust, Ill. Graefe et Cel. Neumann frequentavi.

Iam tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Phthisis pituitosa, nullo vitio organico in pulmone, in exulceratam transire nequit.

II.

Aqua submersis mors potius asphyctica, quam apoplectica.

III.

Membranam intestinorum villosam in dysenteria ano exerni, nego.

IV.

Urethritidis et ulceris venerei non idem contagium.